

h. g. l.

Ye
3532

DEI GRATIA
FRIDERICVS
AVGVSTVS
IVNIOR,
 REGIVS PRINCEPS, ELECTO-
 RATVS SAXONIAE HERES, DVX
 SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MON-
 TIVM, ANGRIAE ET VVESTPHALIAE,
 LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO
 MISNIAE, ET SVPERIORIS AC INFERIO-
 RIS LVSATIAE, PRINCIPALI DIGNITATE CO-
 MES HENNEBERGAE, COMES MARCAE,
 RAVENSBERGAE ET BARBY, DO-
 MINVS RAVENSTEINII,
 ETC.
RECTOR
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,
OMNIBVS ET SINGVLIS
 EIVSDEM ACADEMIAE CIVIBVS
 CLEMENTIAM, GRATIAMQVE
 SINGVLAREM.



Qvod bonum , faustum , felix fortunatumque sit
rei Christianae in uniuersum, ac in primis patriae commu-
ni Germaniae, sigillatim Saxoniae, secundum inaugura-
tionis Academiae Vitembergensis seculum, ritu solenni,
et laeto instauratae eruditionis auspicio, sua et
posteritatis causa, celebrandum signifi-
canti.



Aduentat tempus , secundo Acade-
miae natali sacrum, qvod cum illius
renovat memoriam originis , tum
suae qvemque admonet pietatis , et
omnino aeternitatem promittit literis, qvarum
hic sedes beneficio gentis nostrae, ducentis ab-
hinc annis constituta, et benigne ac liberaliter
ad hunc usque diem est conservata. Qvae res ut
Dei immortalis providentia contigit , sic ma-
gnum in omnium animis excitavit gaudium, et
felicitatis post aliquot menses fruendae desi-
derium commovit passim, et prosperi exitus fi-
ducia coetum in primis eruditum magnopere
erexit. Pios enim laudabilesque patrum co-
natus non frustratur fortuna, neque ulla remo-
ratur difficultas. Nam disiecta superiorum
temporum caligine, et discussis fulgore tenebris,
lumine veritatis accenso , in plena luce versan-
tur, ipsumque adeo solem, nulla obducta nube,
intuentur. Hoc praesidium est viris, in amore
et gratia cum Deo constitutis, coelestique auxi-
lio corroboratis, qvorum pectus est domicili-

um emendatae virtutis. Iacent Romani ancile
Numae, et ignem Vestae perpetuum extollant.,
Graeci palladium, et in eo arcem propugnacu-
lumque sibi extructum credant: nos tutiore
scuto nosmet muniamus, et divina ope auxilio-
que freti, animos sincera voluptate, ac perenni
laetitia compleamus, nec cives modo, sed ex-
teros etiam, gaudii socios, doctrinae fama, ex
literato orbe excitatos, ad solennia invitemus.
Olim ea quidem praeconis Romani vox erat,
ad ludos seculares populum evocantis. Nunc
valeat ista Qvirium superstitio, cui omnia sem-
per adversa contigerunt. Nobis ad existimati-
onem publicam nihil gratius, ad honorem gentis
nihil pulchrius, ad gaudium nihil efficacius acci-
dere unquam potest, quam si ea, quae in nos di-
vina contulit benignitas, ad patriae utilitatem
referamus, et legum emendatricem, literarum-
que parentem Academiam multo et constanti
amore prosequamur, illos etiam, qui honori
eruditae sodalitatis favent, ab eaque dignitatis
suae accessionem, et novum studiis decus pe-
tunt, charos nobis coniunctosque fore profitea-
mur. Non hic ancilia e coelo delapsa videbi-
tis: nam ista levitas, et impietatis licentia ad sa-
cra et ritus Christianorum non pertinet: non.
fora et compita ludendi causa circuibitis: alios
mores solennis ille congressus deposcit: non.
delu-

FKye 3532

X 300 55 54

VD 18

delubra intrabitis Qviritorium, sed aedem, sanctae
et castae religioni, instituto Saxonum, dedica-
tam. Hic patres vos expectant, et pietatis vir-
tutisqve ornamenta offerunt vobis, et ultro li-
beraliterqve concedunt: hic praemia divina hu-
manaqve merentibus decernunt, in eo sanc, et
perpurgato divinitus loco, ubi doctrina coelestis
non inventa, sed instaurata, Germaniam splen-
dore suo complevit, finitimasqve oras, et longin-
qvas regiones pervasit ocyus, ac illustravit. A-
gite igitur omnes, quotqvot adestis, animos af-
ferte Deo, et nostro RECTORIS imperio obse-
qventes, tum mores, maxime ad modestiam
compositos, ac humanitate perpolitos, praeser-
tim ante aram, a maioribus olim nostris solen-
nis sacri gratia extructam. Supplicate Deo, pa-
triae Statori, votisqve et precibus coeleste auxilium
efflagitate, ut procul bello, in pacis otiiqve artibus,
tranquilla novi Academiae seculi solennia, quae deci-
mus qvinctus Calendarum Novembris afferet, in hac
vrbe, legum et literarum altrice, celebremus. Qvam-
obrem ut Deo, qvi omnia regit, curae simus, conspiran-
tibus ad salutem publicam animis, precamur, utqve Sa-
xonicam, Regalem pariter atqve Principalem domum,
a periculis, et belli calamitatibus defendat, pacemqve
vicinis, et cognatis Regibus, Patri, et Propinqvo no-
stro, qvos cum veneratione, et honore nominari par est,
propitio numine quamprimum reddat, per sancte in
sanctissima muneri publici perfunctione obtestamur.
P.P.III. CALEND. AVGVSTI. Dominica VII. TRIN.
Anno recuperatae salutis c[hr]o [m]o CCII.

h.g.1.

DEI GRATIA
FRIDERICVS
AVGVSTVS
IVNIOR,

REGIVS PRINCEPS, ELECTO-
RATVS SAXONIAE HERES, DVX
SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MON-
TIVM, ANGRIAE ET VVESTPHALIAE,
LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO
MISNIAE, ET SVPERIORIS AC INFERIO-
RIS LVSATIAE, PRINCIPALI DIGNITATE CO-
MES HENNEBERGAE, COMES MARCAE,
RAVENSBERGAE ET BARBY, DO-
MINVS RAVENSTEINII,
ETC.

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,
OMNIBVS ET SINGVLIS
EIVSDEM ACADEMIAE CIVIBVS
CLEMENTIAM, GRATIAMQVE
SINGVLAREM.

